

08
Ge

J. O. 590.

rentē,
endle-
paci.
uncta:
itione
malo
plus
oso.

Fortunante CHRISTO! g
EXERCITATIONUM ETHICARUM
Ad Lib. VI. Ethic. Nicom. Arist.

OCTAVA,

de

VIR TUTIBUS
INTELLECTUALIBUS,

quam

PRÆSIDĒ,

Dn. FRIDERICO CAHLENÖ;
M.P.L.C. Gymnasi Rectore, Præceptore
suo fidi & observando
defendere conabitur

H. Lg Solitis

A.D.XX. Jan. A.O.R. cīc cīc LIX.

CHRISTOPHORUS URSINUS
Bustaria - Pomeranus.



J E N ē,
Typis GEORGII SENGENWALDI;

VIRIS

Generosis, Nobilissimis, atq; Strenuissimis Pomeranie
Equitibus, Magnis Magni Parentis
Filiis, Dominis,

Dn. PHILIPPO à Guntersbergen/
Consiliario citerioris Pomeraniæ meritissimo,
Hæreditario in Lübdo/Rüsse majori,
Schlötenis / &c.

Dn. FRANCISCO à Guntersbergen / Consiliario Electorali Brandenb. ac
Tribuno in Rügenwalde dignissimo, Hæreditario in Reiko / Rüsse Majori,
Dammis / &c.

Dn. HEINRICO à Guntersbergen / Consiliario Ele&t. Brandenb. aulico gra-
vissimo, Hæredit. in Dammis / Rüsse
majori & Schrötenis /

Dn. ERNESTO à Guntersbergen /
Heroi fortissimo , Hæreditario
in Falckenwalde / &c.

Dn. VALENTINO à Guntersbergen / Tesserario Superiori, Hæreditario
in Wußlar / Rüsse majori &c.

Dnn. Patronis, Mecenatibus, Promotoribus ac Fau-
toribus suis faventissimis, cum divinae benedictionis,
omnisq; incolumentatis ac prosperitatis voto le-
vidense hoc studiorum suorum
specimen offert

cliens devotissimus
Christophorus Ursinus, Respond.



ΘΕΟΥ ΣΥΜΠΡΑΞΟΜΕΝΟΥ!

ΠΡΟΠΑΙΔΙΑ ΑΝΑΛΤΙΚΗ.

Lib. VI. ETHIC.

ABsolutis Virtutibus moralibus progredimur cum Philosopho ad considerationem INTELLECTUALIUM Lib. VI. Ethicorum Nicomach. In quo habetur partim *præfatio*, in qua agit tum de harum virtutum *subjecto*, Cap. 1. tum de actionum humanarum principiis, Cap. 2. Partim Tractatum in genere, de Habitibus intellectus, qui vel simplices, & horum alij quidem cum discursu, occupanturq; vel circa necessaria, & est SCIENTIA, Cap. 3. vel circa Contingentia, & tum vel in effectione consistunt, ut ARS, Cap. 4. vel in actione, ut PRUDENTIA. Cap. 5. Habitus intellectusq; discursu est

A 2

IN.

INTELLIGENTIA, Cap. 6. Com-
positus habitus est SAPIENTIA
Cap. 7. Tum *in specie*, de prudentia,
vel *quoad Naturam*, quæ cognosci-
tur ex *speciebus* consideratis vel ma-
terialiter, ubi alia prudentia est do-
mestica, alia civilis, alia practica seu
politica, Cap. 8. vel formaliter,
quòd alia consistat in Consultando,
Cap. 9. alia in dijudicando, vel se-
cundum *leges & statuta*, Cap 10.
vel *juxta æquum & bonum*, Cap. 11.
Vel *quoad affectiones*, de pru-
dentiæ tum *utilitate*, Cap. 12.
tum *dignitate*, Cap. 13. Esto igi-
tur

CA.

CAPITIS I.

THESSI.

*De Virtutibus intellectualibus etiam
in Ethicis est agendum.*

EXPOSITUS.

Quicquid negent alij, recta non solum ratio, sed & Philosophorum præcipuum autoritas cum Aristotelethesin hanc statuminant. 1. Quia cum Ethicus de rectâ ratione, quæ medium præscribit exercendis virtutibus moralibus. (unde & definitionem virtutis ingreditur) agat, quidnî etiam de Habitibus, quibus recta ratio dirigitur & exercetur, ageret ? 2. quia Virtutes intellectuales faciunt ad consequendum finem Ethices, summum scil. bonum, dum ostendunt, Ubi & quando, & quomodo virtutum exercitia à rectâ ratione profecta adhiberi debeant. 3. quia si primariae Virtutis species hic rectè tractatur, etiam species analogæ non erunt excludendæ. Vid. Piccolom. Gr. s. Phil. mor. c. 4. Christ. Matth. lib. 3. system. Eth. p. 117.

THES. II.

Virtutes intellectuales sunt habi-

A.3.

B.3.

tus intellectum informantes & perficientes, ad verum inquirendum & enunciandum.

ENDEO.

Sic dicuntur à subjecto inhaesionis, quia intellectui insunt, eumque informant. Habitus practici quidem voluntati potius, quam intellectui competere videntur, si considerentur objectivè & operativè, quantum in opus externum se exserunt: Sed si subjectivè, prout in subjecto sedem occupant, ut habitus nihilominus intellectuales dici possunt, licet quoad exercitiū potius morales, quam intellectuales dici mereantur. In aliâ enim facultate animæ sunt, scil. intellectu, in aliâ verò operationes exercent. Et quia omnis praxis presupponit theoriam, hinc verum & falsum, quod est, n̄ consultatione & electione, est bonum & malum in operatione. Inde quoque liquet, quo respectu habitus hi circa verum occupentur. *Vid. Dn. D. Hunnius Disp. Eth. II. Horn. lib. 4. c. 2. Eth.*

CAP.

C A P. II.

THES. III.

Tria sunt in anima cognitionis & actionis principia, & vñs, mens seu ratio; n̄ ãlud n̄tis, sensus & n̄o ḡeñs, appetitus.

ἐνθεσίς.

Variam divisionem Facultatum animæ ab Aristotele supra sub fin. lib. i. Exerc. Eth. i. p. 56. positam h̄c non repete-mus. Tria verò hoc loco assignat prin-cipia, utpote præcipua, cognitionis & actionis. *Mens* quidem utriusq; prin-cipium est: *Sensus* cognitionis dū taxat; *Appetitus* tantum actionis. *Mens* est in affirmatione veri & negatione falsi occu-pata: *appetitus* in persecutione jucundi, & fugâ molesti: *Sensus* deniq; nullius actio-nis principium est, quia alias bestiæ quo-que actionis essent participes, quod ab-surdum. Ex duobus verò prioribus, sc. intellectu practico & appetitu, oritur prin-cipium secundarium, videl. *προάγεσις*, sive *Eleçtio*, quæ si à rectâ ratione suadente,

A 4

&

& appetitu prosequente convenienter o-
ritur, bona editur actio: sin verò utroq;
vel alterutro male affecto constat, mala
est, & *κακοπραξία* sequitur.

C A P. III.

THES. IV.

*Quinq; sunt habitus mentis prin-
cipales.*

ΕΚΔΕΣΙΣ.

Quia tot sunt rationes, quibus mens
affirmando vel negando verum dicit: 2.
tot sunt objecta diversa, circa quæ versan-
tur: 3. tot etiam sunt modi considerandi.
Objectum quidem aut est *necessarium*, aut
contingens. Si illud vel sunt *principia per-*
se manifesta, & horum notitia dicitur *intel-*
ligentia. Vel sunt conclusiones ex illis
principiis deductæ & harum habitus vo-
catur *scientia*: vel denique *principia & con-*
clusiones simul junctæ compositam quasi
dant notitiam, quæ *Sapientia* dicitur.
Contingentium alia versantur circa τὰ ποιη-
τά, in efficiendo opere aliquo occupata, &
est *lars*: vel circa τὰ πράκτα, quæ in agendo
consistunt, & est *prudentia*. Horum ha-
bi-

bituum priores tres dicuntur theoretici, à fine, qui est θεωρία quia in nudâ objecti sui contemplatione consistunt: posteriores duo practici, itidem à fine, qui est πράξις seu actio. Unde duplex emerit Philosophia, Theoretica, quæ est habitus entium cognoscibilium juxta causas, principia & affectiones, veritatis & cognitionis gratiâ: Et practica, quæ est habitus entium agibiliū felicitatis civilis consequendæ gratia. Vide D. Jac. Mart. lib. 2. Eth. c. 25. p. 553. Alsted. in Encyclop. maj.

THES. V.

SCIENTIA est habitus mentis demonstrativus, quo percipimus conclusiones necessarias per causas veras, primas, & immediatas, &c. Σπισμὸν εἰν εἶσι, ἀποδεικνὺν τοῖν τοῖν αἴταινα, πρώτα, κοινὰ μέσα.

ΕΠΙΣΤΗΜΑ.

Homonymiam vocis scientes prærimus, brevitati ciuituri, & videri potest apud Conimbr. in I. Post. Piccol grad. s. c. 28.

A.S.

Jan.

Jac. Mart. l. c. p. m. 555. Objectum, quo ab aliis distinguitur, est τὸ ἐπισητὸν, h. e. scibile: cuius requisita sunt , ut sit necessarium juxta leges demonstrativas, de omni, per se, & universale primum, æternum, ingenerabile & incorruptibile , h. e. æternæ veritatis, quod aliter esse vel fieri nequeat. Requisita vero scientiæ sunt tria 1. scire causam rei. 2. causam veram & immediatam. 3. quod res illa se aliter habere non possit. Acquiritur vero, ut omnis doctrina, ἐκ προναφθότης γνώσεως ἡράκλου, ex præcognitis principiis , per syllogismum Demonstrativum , cuius finis est scientia. Affectiones scientiæ sunt 1. Unitas. 2. subalternatio. 3. methodus synthetica. 4. necessitas, sc. hypothetica seu expediencia. De quibus hic non est locus prolixius differendi, uti nec *de speciebus*, quales sunt *Pneumatica*, *Physica* & *Mathematica*. Dictum est huic merci suum preium ab aliis qui super 1. post. Anal. commentati sunt *Sanchez*, *Ruvione in Com. 1. sect. c. 4. Masio in 1. de Dom. per 8. qq. Mendoza. Disp. II. Log. sect. 6. Jac. Mart. in partit. Metaph. sect. q. D. Joh. Christoph. Seldio Disp. de Haec bii-*

bitib. Intellect. Amico & Fautore nostro ho-
norando, Witeb. A. 1642. habitâ.

CAP. IV.

THES. VI.

*Ars est habitus cum rectâ ratio-
ne effectivus. η τέχνη εστὶν εἴδη μέλα
λόγγοις αληθήσι ποιητική.*

ΕΝΤΕΣΙΑ.

Post habitum intellectualem scien-
tificum circa necessaria Aristoteles agit de
habitibus *circa contingentia*, & quidem
hoc Cap. 4. de priore consistente *in effe-
zione*, in quo distinguitur à prudentia,
quæ in actione consistit, de qua cap. seq.
agit. *Objectum artis sunt τὰ ποιητὰ, factibi-
lia ac mutabilia, quæ ab extrinseco prin-
cipio producuntur. Proprium artis quoq;
est, relinquere post se opus externum &
post operationem manens.*

Rectè autem assignatam esse defini-
tionem artis probat Aristotel. quia reci-
procatur cum suo definito. 2. quia per in-
ductionem perfectam potest probari, v.g.
*architectonica, statuaria, fabrilis &c. sunt
tales*

tales habitus cum vera ratione effectivi.
E. Affectiones artis sunt. 1. *Imitari* & perficere naturam. 2. *Finem certum* præsupponere, & ad illum omnia media diriger. 3. *Cognitionem inutilem* habere, nisi ad usum dirigatur. 4. *Non consultare de mediis*, sed ea præsupponere. 5. *operari* sine pugna affectuum. 6. *Non laudari* ab intentione, sed ad opere, juxta illud Vulgi: *Opus commendat artificem.* 7. *Non vituperari*, si datâ operâ aberret. 8. *Tradi methodo analyticâ.* Species sunt liberales & illiberales artes variae.

CAP. V.

THE S. VII.

PRUDENTIA est habitus cum rectâ ratione aëtivus circa ea, quæ homini bona vel mala sunt.

η. Φρόντισ ἐστι εἴδες αἰλούθες μέλα
λόγις προσκλινή φει τὰ αὐθεώπω α-
γαθά καὶ κακά.

ἘΦΕΣΙΟΣ.

Rectè subjungit Arti Prudentiam.

Phi.

Philosophus. Conveniunt n. genere, subjecto, & objecto generali: differunt tamen formâ & effectu.

Objectum prudentiæ sunt τὰ πρᾶγματα, agibia, seu bona, honesta & justa, quæ homini ad bene agendum & vivendum sunt necessaria. Finis est πρᾶξις sive actio, scil. moralis, ex ratione & præelectione profecta. Affectiones prudentiæ sunt 1. Convenientia cum reliquis habitibus intellectualibus, & cum arte 2. Differentia ab iisdem & ab arte, quarum utramque fusè ostendit Aristot. hoc cap. 4. text. 6. & 7. 3. naturalis solertia inveniendi imedia. 4. promptitudo in consultando de præsentibus vel futuris. s. non regi affectu sed rectâ ratione, &c. Species ejus sunt; quod alia est impropria seu naturalis, eaq; vel metaphoricè dicta, qualis est in formicis Plin. lib. 2. c. 30. & Apibus, Id. ibid. c. 50. Serpentibus etiam, Matth. VI, 10. Javell. lib. 1. Met. q. 5. vel Metonymicè, quâ pueri etiam dicuntur prudentes, spem præbentes prudentiæ futuræ, Arist. l. 1. de Republ. c. 2. vel propriè dicta & rationalis, quæ hîc definitur, estq; vel privata, in re familiaris

con-

conspicua, vel publica seu civilis, quam Aristoteles h. l. subdividit in *Nomotheticam* seu *Legislatoriam*, & *politica* seu *Judicarial*, quæ Rempubl. secundum leges administrat. Vide de his prolixè ac crudité differentem *Cl. Hornejum lib. 4. Eth. c. 3.* & *4. pag. 508. & seqq.*

C A P. VI.

THÈS. IIX.

INTELLIGENTIA est habitus principiorum. ο Νόστιμος τῶν αἰγαλῶν.
Ἐκδεστῆς.

Post habitus cum discurſu Aristoteles de habitibus absq; discurſu agit, explicans hoc cap. naturam Intelligentie, eamq; probans esse habitum principiorum, quatenus illa sunt indemonstrabilia & simpliciter cognoscibilia. Hinc Dn. D. Jac. Martini in Ethicā ipsam definit: Quod sit virtus speculativa simplex, quā principia scientiarum & demonstrationum, quae medio & causā carent, absq; medio & causā cognoscimus, cognoscendo illis credimus, firmiterq; assentimur. Objectum intelligentie non

non unum idemque à diversis assignatur.
Doctiores plerique id faciunt duplex,
incomplexum, scil. *intelligibile*, transcen-
dens omne genus substantiarum & acci-
dentialium, & æquè latè patens cum Ente;
& *complexum*, quæ sunt principia & axio-
mata scientiarum, sed indemonstrabilia, si
non semper in se, tamen in illâ arte & sci-
entiâ, cujus sunt principia: v. g. *Impos-
sibile est, idem simul esse & non esse: Totum
est maius sua parte. Simplex est prius compo-
sito. Medium est, quod æq[ue] ab utroq[ue] extre-
mo distat.* &c. Finis hujus habitus est
γνῶσις, cognitio.

C A P. VII.

THES. IX.

SAPIENTIA est habitus mentis
ex scientia & intelligentia constans.
Η σοφία ἐστὶ καὶ ἐπισήμη καὶ νέσ-
τῶν θεωρία τῆς φύσεως. Arist. b.
cap. text. 8.

Ἐκθεσ.

Hactenus de habitibus intellectualibus
simplicibus: sequitur de Composito, nempe

SA.

Sapiētia. Quæ vox vel generaliter accipi solet pro cuiuslibet artis excellentiâ, sic Phydias sapiens sculptor, Polycletus sapiens statuarius dicitur ab Aristot. h. l. 2. specialiter pro ipsa Philosophia, i. Metaph. c. 2. 3. specialissimè pro habitu hîc definito. Interdum etiam abusivè apud autores usurpatum pro rerum agendarum peritiâ. *Compositus* verò *habitū* est, quia sapiens intelligit principia sine Demonstratione, & sic est intelligentia; & Conclusiones cum Demonstratione, & sic est scientia. *Objectum sapientiae* dicit Aristoteles esse τὰ ιμιώτατα ἦν Φύση, præstantissima naturâ, velut alibi docet, sunt res scientificæ, uti rerum principia, & conclusiones necessariae. Ita licet sit habitus compositus, est tamen unus, unitate objecti, circa quod versatur. *Affectiones sapientiae* ab Aristot. numerantur sex: 1. scire omnia. 2. scire maxime universalia. 3. cognitum difficilima. 4. per causam accuratam in demonstrando. 5. sui, & non alterius gratiâ. 6. Eadē scitâ docere posse. Vid. Arist. i. Metaphys. c. 2. Suares. disp. i. Metaph. sect. 5. Jac. Martin. parsit. Metaph. lib. i. quest. 19. Scharff. Theor.

Transcō

Transc. Disp. I. §. 30. Quoad species sapientiae illi videntur rectius statuere, qui unicam actum existentem, cui tamen non repugnet aliam conspeciem existere, tradunt. Sicut genus in una specie, aut natura specifica in uno individuo actu existente salvare potest.

Finis eius est ipsa divina propemodum beatitudo; quae in perpetua primae causae contemplatione, unioneq; rerum omniū ad eandem causam ponitur. Vid. Dn. D. Jac. Martin. Eth. lib. 2. p. 542.

CAP. IIX.

THES. X.

Prudentiae (de qua speciatim hoc cap. agit Aristoteles,) diversæ sunt species: alia namq; privata est, alia publica, & hæc vel Oeconomica, vel Civilis: & hæc posterior iterum vel nomothetica seu Legislatoria, vel judiciaria aut consultatoria.

ΕΝΤΕΣΙΣ.

Postquam Philosophus de habitibus intellectualibus universim egerat, de prudentiâ ejusq; speciebus speciatim instituit

B

tracta.

tractationem, tum conjunctim, quod politica & prudentia sint iidē habitus dignitate, differant tamen materiā circa quam tum distinctim per diversas species, quas ita possumus describendo meminiisse: prudentia est vel *hominis privati*, & dicitur *monastica*, quæ privatum cuiusq; commodum respicit, uti vulgò talis habetur. Vel *hominis in societate viventis*, & quidem vel *domesticā*, & dicitur *Oeconomica*, quæ commoda familiæ respicit: vel in *civili*, & dicitur *politica*, bonum Reipubl. propositū habens. Et hæc tres continent species, quarum una dicitur νομοθετική s. *Legislatoria*, altera βλέψική, s. *Consultatoria*, & tertia δικαστική, *Judiciaria*. *Legislatoria*, juxta Horn. l. c. p. m. 575. est, quæ leges condendo præscribit singulis ac universis in Republ. degentibus sua officia, & totam Rempubl. ordinat. Hanc propter excellentiam suam Aristoteles vocat ἀρχιτεκτονικήν.

Consultatoria, seu *Deliberativa* est, quæ quid factō opus sit in Republ. exquirendo consilia, & sententiā addendo, deliberat. Dicitur alias *Senatoria*, quia senatus est consultare.

Judi-

Judicioriād enīq; est, quā jūdex secundum
acta & probata in judicio fert sententiam,
non alio ānimo, quām justitiæ admini-
strandæ. De quibūs prolixè ac eruditissi-
mè scripsit præ cæteris modo laudatus Dn.
D. Hornejus l.t.

C A P. I X.

THES. XI.

CONSULTATIO non est scien-
tia, neq; sagacitas, neq; opinio.

ENDĒTIS.

Ita de materialibūs prudētiæ; sequitur
hoc cap. de formalibūs, quæ consistunt
vel in Consultando, vel in jūdicando. Primò
negativè agit Aristot. de Consultatione;
negat n. 1. esse scientiam: quia 1. Consultare
nihil aliud est, quām consilium quærere,
licet quærere & consultare differant tan-
quam genus & species 2. quia scientia non
est inquisitio in utramq; partem dubia; u-
ti est Consultatio. 2. Sagacitas quoq; non
est, quia hæc fit brevi tempore; contrà
Consultatio cum actu temporis & ratio-
cinio maturo. Nam viri prudentes diu
deliberant, juxta illud: Deliberandum est

B 2

diu,

diu, quod statuendum est semel.

Neg. 3. est opinio: quia opinionis rectitudo est veritas, Consultationis autem rectitudo refertur ad actionem. 2. quia opinio non est inquisitio rei alicujus, sed certa enunciatio consultatio vero est inquisitio, quia omnis, qui consultat, inquirit.

THE S. XII.

Consultatione est aliud, quam rectitudo consiliorum ad bene-beateq; vivendum conferentium.

Expositio.

Colligitur hæc definitio ex ipso Textu Aristot. *Rectitudo* dicitur esse *consultatio*, non quidē *Theoretica*, qualis est *scientiæ*, cuius nulla est *correctio*: sed *præctica*, in quâ *correctio* locum habet; Et si benè *consulere* est *rectè consulere*, ipsa *consultatio* etiam erit *rectitudo*, & quidem *consilij*, nitentis ratione & mediis honestis.

Neq; enim *omnis*, qui consultat, benè consultat, sed qui honestè. Ea igitur *consultatio* colligitur esse optima, quæ si-
ve sit universalis, sive particularis, publica
sive privata, cum honestate & æquitate
con-

conjuncta est: non cuius finis tantum bonus, media v. inhonesta sunt, sed quæ à rectâ ratione profecta mediis utitur veris, legitimis & honestis: quæq; deniq; nec nimistarda, nec nimis propera, utilitatē spectat cum honestate conjunctam.

Hinc plenior definitio Consultationis juxta Joh. Casum lib. 6. ſpec. moral. c. 9. talis assignari potest: Quòd sit habitus mentis eam inclinans ad hoc, ut quis prudenter deliberando, optimum finem per honesta media attingere possit. Unde res conditiones vel requisita bona consultationis emergunt, i. ut fiat bono fine. 2. media adhibeat justa & honesta. 3. fiat convenienter tempore non nimis tardè nec nimis præcipitâter, ne juxta illud: *Canis festinans cæcos pariat catulos.*

CAP. X.

THESES XIII.

PERSPIČITAS, non est scientia,
nec opinio, nec idem cum prudentia.

ἘΚΘΕΤΙΣ.

Prudentiam aliam Consultatoriā, aliam Judiciariā fecit Aristoteles, iccirco de hac, quæ in judicando consistit hoc cap.

B. 3 agit,

agit, vel secundū leges & statuta, & est *perspicacia*, Gr. σύνεσις, vel ex æquo & bono, & est *Sententia*, Gr. γνώμη. Illius naturā expōnit per viam remotionis, negando eā esse 1. *scientiā*, quia aliās omnes scientes essent perspicaces vel sagaces, quæ est contra experientiam. 2. quia non versatur circa ea, quæ semper sunt. Neq; est 2. *opinio*, quia alias stupidus, qui suā habet opiniones, c̄tiam esset sagax, quod absurdū. cum stupiditas sagacitati opponatur. Neq; 3. est idem cum prudentiā, quia licet uterq; habitus circa idē versetur, scil. ea, quæ sunt εΦημῆ, sive in nostrā potestate, distinguuntur tamē operationibus, dum perspicacitas solū judicat, prudentia verò si ne proposito media inquirit, invenit, ac præcipit.

Est n. Sagacitas vis quedam intellectus ad eab enè judicanda, quæ à prudentiā inventa ac proposita sunt.

C A P. XI.

THES. XIV.

*Sententia est rectum judicium a-
qui ēS boni viri.*

ἔκθεσις.

Al-

Alterum, quo in judicando vir prudens utitur est γνώμη, sive sententia, qua quis ex præscripto legum, sed tamen secundum æquitatem pronunciat. Non verò h. l. sumitū materialiter pro ipso judicio secundū æquitatē in defectu Legis: sed formaliter, pro habitu judicandi bene de illis, in quibus lex communis aut specialis deficit. Dicitur *judicium rectum*: unde reiicitur judiciū i. *injustū*, non animo administrandæ justitiae susceptum. 2. *temerarium*, ex meritis suspcionib⁹, aut affectibus præ posteris profectum. 3. *affectatum*, auctoritate judicandi publicâ destitutum, &c. Facile hinc liquet, eos qui ex amore vel odio sententiam ferunt, & προσωπολήπται sunt bonorum virorum, aut judicum nomen obtinere non posse. Non est judicis, inquit Ambros. in 1. Cor. 5. & jus Canon. Cap. si quis potestatem, 23. qu. 4. sine accusatione aut sufficienti probatione accusationis quenquā damnare. Secus qui facit, jus naturæ & gentium imò in divinam legem & conscientiam suam gravissimè impingit, πεισσότερον κέρα, scilicet abundantius judicium in die novissimo experturus.

B 4

In

In sententiâ autem ferendâ non suum,
sed aliorum senum, usu peritorum, do-
ctiorum ac prudentum sequendum est
judicium.

CAP. XII. & XIII.

THES. XIV.

*Habitus intellectuales sunt utiles
homini, & alij aliis præstantiores.*

ERGO.

Duobus ultimis capitibus Aristoteles
exponit & demonstrat duas præcipuas ha-
bituum intellectualium affectiones, scil. u-
tilitatem & dignitatem sive præstantiam.
Desapientia dubitare quis posset, num il-
la sit ad felicitatem practicam utilis, cùm
sit virtus speculativa. Verum responderet
Aristoteles negando connexionem, & di-
stinguendo inter causam internam & ex-
ternam felicitatis. Licet sapientia non
conferat aliquid ad eam, ut causa externa
efficiens, veluti medicina; tamen concur-
rere ad illam ut causam internam for-
malem, siquidem practica beatitudo pen-
det à theoreticâ. *De prudentiae utilitate*
nullum potest esse dubium, cum omnis

vir-

virtus ethica requirat rationem, sitq; cum prudentia hujus directrice connexa, sine qua nullum est opus bonum. Nam duo requiruntur ad perfectam virtutis operationem, nimirum *finis*, ut προαιρέσει certa præconcipiat, hoc agendum esse, quod decet, & *dispositio*, quæ ad finem consequendum facit, estq; tūm naturaliter solertia, tū habitualiter prudentia. Quid? quod ratio virtutis moralis magnâ ex parte sita sit in observatione circumstantiarum, quam sola docet prudentia.

THES. XV.

Sapientia præstat prudentiæ.

ENDET.

Præstantia verò hæc patescit 1. ex *subjecto*, quod est mens in contemplatione ac quiescens. 2. ex *objeto* quod est res divina æterna & immutabilis. 3. ex *modo probandi*, qui est invicta demonstratio 4. ex *fine*, qui est ipsa divina propè beatitudo, que in perpetua contemplatione primæ causæ, & unione rerum omnium ad eam ponitur. Contra prudentiæ *subjectum* est intellectus practicus & appetitus; *objectum* res mutabiles.

B. S.

biles

biles & contingentes: *Modus probandi probabilis & dialectic'* *Finalis beatitudo activa.*

THES. XVI.

Prudentia magna quoq; inter virtutes omnes dignitas est.

Ex D'esi.

Quia hæc in omni conatu naturæ viam, in omni actione & studio virtutis modum ordinemq; præscribit. Latè n. accepta, ut est Heroica, nihil aliud est, quā universa virtus; sed strictè sumta, est quidē distincta virtus, sed cum reliquis tamen connexa induxit, ut ubi virtus moralis sit, ibi etiā sit prudentia, & contra. Hinc Socratici dicebant, omnem virtutem moralem esse prudentiam. Scilicet quia nulla alia virtus præter prudentiam hanc vim & proprietatem habet, ut actū alterius virtutis eliciat, ordinem præscribat, media eligat & progressum actionis dirigat, iccircò non est absurdum, prudentiam veluti centrum in vitæ huj^o circulo constituere, ut omnes licet virtutū à circumferentia deductæ in hanc desinant, & reflectantur. Nam quod *Iureналis* habet sat. X. v. 365. *Nullum Nomen abest, si sit Prudentia.*

TANTUM.

CONSECTARIA AXIOMATA,

*I. Prius de moralibus, quam intellectu-
alibus virtutibus agendum.*

Keckermannus in Eshicis Prudentiam,
tanquam directricem præmittit virtutibus
moralibus, eo quod nullum bonum appe-
tatur à voluntate, nisi prius tanquam verū
cognitū fuerit ab intellectu. Verum ipsius
sententia non assurgimus, siquidem civilis
bēatitudo tum secundū nos, tum ordine
doctrinæ contemplativā antecedit. 2 quia
morales virtutes nobis sunt faciliores &
familiatores. 3 quia frustra quis operam
dabit intellectibus ad se magnificen-
dum, nisi prius à pravis affectibus perpur-
gatus ad illas accesserit.

Distinguimus igitur inter ordinem *na-*
turæ, quo prior est virtus intellectualis, &
cognitionis, quo posterior, propter metho-
dum in practicis analyticam.

II. Non sunt plures, nec pauciores ha-
bitus intellectuales quam quinq[ue].

Paret hoc ex supra dictis. Et probari po-
 test hoc modo: Tot sunt habitus intelle-
 ctales

qua-

ctuales, quot modis intellectus perficitur in cognitione veri & operatione. At qui hoc fit quinq^u; modis, trib^{us} quidē in cognoscendo, duobus in operando. E. Minor prob. In cognitione veri perficitur vel ad cognoscenda principia, & est Intellectus: vel ad cognoscendas Conclusiones ex principiis deductas, & est Scientia, vel ad cognoscenda utrag^q, ut est sapientia. Quoad operationem verò perficitur, aut quoad substantiā operationis tantum, ut sit, conveniens regulis artis, & est ars; vel quoad operacionis rectum usum, & est prudentia. Vid. J. Mart. Exerc. Metaph. l. 2. Ex. 9 p. 1042.

Intelligimus verò h. i. principales, non instrumentales. Zabar h.i.d. nat. Log.c. II.

III. Omnes homines natura scire appetunt.

Ita Aristot. l. 1. Metaph c. 1. Quia scientia est perfectio intellectus nostri naturaliter imperfecti. 3. de anima. c. 4 t. 14. Quodvis autem naturaliter imperfectū appetit sui perfectionem. 2. Quia ingens ex cognitione rerum utilitas emergit. Hac enim solâ bestiis antecellimus, cum reliqua ferè cum

cum ipsis habeamus communia. Ergo
ob naturæ suæ excellentiam homo scire
desiderat, quod proximè ad Dei imaginem,
ad quam primum erat conditus, accedat.
Ut taceam incomparabilem voluptatem,
quæ ex scientiâ & studio sapientiæ resultat,
præ quâ multi philosophi omnia terrena
nihili fecerunt, pallio, perâ & baculo suo
contenti. Vid. Diog. Laërt. in vit. Diog.
Chrysippi, & alior.

IV. Potest homo naturaliter omnia quodammodo scire.

Quia si potest esse beatus, quæ beatitudo appè-
titū satiat, sequitur ipsum etiam posse naturaliter
omnia scire. Nam si hoc nō esset, appetitus satiari
nō posset, cum homo naturaliter scire desideret.
2. Quia scire potest, quid sit Ens, quid substantia,
quid accidentis, ad quæ omnia reliqua quodam-
modo referuntur. E. potest scire omnia. O. enim
Ens est scibile, cum omne Ens sit verum. Sed di-
stinguendū inter cognitionem confusam & distinctā:
inter perfectam absolutam & in certo genere. Confit-
sam & certo genere perfectam scientiam homo
potest habere, non vero distinctam & absolute
perfectam in omnibus. Nam omnium rerum scien-
tiā habere, divinitatis potius, quam humanitatis
esse dicit Imp. Just. l. i. Inst.

V. Ni-

V. Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.

Intelligendū hoc axioma est non simpliciter, sed cùm restrictione. Verū est enim nōn de quovis ente simplicissimo, perfectissimo aut imperfectissimo cùm v.g. Deus, angeli, anima rationalis, materia prima &c. nōn fuerint insensu, quæ tñ. concipi ab intellectu possunt: sed verum est de speciebus intelligibilibus, quæ concipiuntur beneficio abstractionis: nōn de habitibus, qui possunt inesse ante abstractionem. Nihil est in intellectu scil. per ideam, seu idealē representationem, quin prius fuerit in sensu per phantasma seu speciem sensiblēm, sive directē sive indirectē. Vid. Dn. D. Calovius de Cognit. Dei natur. p. m. 150.

VI. Ars imitatur naturam.

H τέχνη μητραὶ θεοῦ Φύσι. 2. Phys. c. 2. l. 22. Fit hoc tū ratione intentionis, dum aliquam perfectionē intendit; tum productionis, in quantum opera naturae affectat, & exprimere conatur.

Intellectus enim humanus studet assimilari divino. Natura ipsi semper pro fundamento est, quam si cubi ars juvat, effectus emergit præstantior. Vid. laud. Dn. D. Calov. script. phil p. 591. Hoc ipso vero felix ars, quod non habeat osorem, nisi ignorantem. Unde liberalium artium osores seipso produnt uti sorices, quæ sint earum rudes & ignari; & hinc non aestimandi.

VII. Scientia non est reminiscencia.

Afferuit hoc olim Plato, sed quem Aristoteles

70fH-

refutavit lib. de Memoriâ & Reminisi. Nam scien-
tia est rerum universalium, reminiscensia vero
singularium. 2. In reminiscensia recordamur, nos
antea id scivisse, quod reminiscimur; in scientiâ
vero hoc non fit, ubi denuo aliquid cognoscendo
discimus.

XIX. Datur quedam futurorum scientia.

Scil. Futurorum contingentium i. Universaliū,
non singularium. 2. eorum, quae ex certis causis
haberi & cognosci possunt, ut Eclipsum. 3. non
semper exacta, sed aliqualis & conjecturalis. 4.
Non contingentium respectu causæ, sed respectu
subjecti.

X. In Consultando vacuitati ab affectibus studendum.

Divinè olim Plato: Consilium res sacra; af-
fectus consultores pessimi. Nihil enim est,
quod magis pessundet resp. labefactet justitiam,
violet æquitatem, sauciet conscientiam, & affli-
gat in firmiorū fortunam, omneq; genus malorū
privato-publicorū accersat, ipsis vero consulto-
ribus ac Judicibus exitiosum sit, quam ista in
consultando, & judicando intemperies odij &
gratiæ, quæ à quolibet viro bono exulare debet
merito.

X. Cum prudentia stare non potest fraudu- lenta astutia.

Quia virtus vitio jungi non debet aut per il-
lad juvari, ac perfici, licet hodiè multis imperi-
tio.

tioribus astutia sese vendit pro prudentiâ, quos
egregiè deceptos eludit. Imò gloriantur filij hû-
jus seculi in hac malitiâ, & quod mireris & meri-
tò indigneris, fruuntur hac astutiâ suâ in conqui-
rendis opibus, impetrandis officiis publicis, su-
gillândis aliis simplicioribus & cànclidis ; in si-
num gaudentes,

quod taciti vapidam gestent sub pectore vulpem.
quibus reponimus hîc nil, nisi Caput XIX, v. 19. &
seqq. Ecclesiastici, cum paraphrasi Bibl. Jenens. Et
sic recepti canentes, agimus

DEO GRATIAS.

Juvêni à pietatis, modestiæ ac industriæ in studiis lau-
de verè commendabili, Discipulo per dilecto suo
Xdçiv Spavôþev

Felix, qui poterit rerum cognoscere causas;

Felix, qui mentis munere clarus erit.

N v h j  pi 15 h n  sancto qui fædere jungit ;

Felix & sapiens jure vocandus erit.

Sed nec scire sat est : decet & fecisse scienda

Prudenter, vita qua bonus usus habet.

Artis enim gnarus , Virtutis & affectus, felix,

(Quicquid libor agat,) salvens & esse potest.

Ergo ruis, URSINE, bonis congratulor idem,

Virtutes animi dum celuisse studest.

Nora tua est pietas, studium virtutis & ardor

Artibus & Linguis hactenus usq; datus.

Felix, si perges, Tibi fors continget, & omnis

Conatus stabit prospereiore loco.

auguror votivâ michté
PRÆSES.

FINIS.

65604

Mölln mit Noten


ULB Halle
007 397 542

3



VD 19






Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Fortunante CHRISTO!
EXCITATIONUM ETHICARUM
Ad Lib. VI. Ethic. Nicom. Arist.
OCTAVA,
De
IR T U T I B U S
INTELLECTUALIBUS,
quam
PRÆSIDĒ,
FRIDERICO CAHLENO;
.L.C. Gymnasi Rector, Præceptore
suo fideli & observando
defendere conabitur
H. Lg Solitis
.D.XX. Jan. A.O.R. cīcē LIX.
CHRISTOPHORUS URSINUS
Bustaria - Pomeranus.

J E N ē,
Typis GEORGII SENGENWALDI;